

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthviani, Natione Bavari,
Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Ad horas Canonicas septem, precationes itidem septem piæ iuxta ac
deuotæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

Sero in crepusculo fineq; dici, Precatio.

O Domine Iesu Christe, en offero tibi omnem vitam tuam innocentissimam sanctissimamq; laboribus & ærumnis attritam, virtutibusq; plenam. En offero tibi cœnam nunc illam typicam, qua legi obediens, & ad patientium pro nobis feruens, simulq; nobis exemplum imitandi ac monimentum te recolendi diligendiq; relinquens, discipulorum pedes lauisti, corporis & sanguinis tui sacramento refectionem nobis instituisti, & post sermonem dulcissimum atque amore plenum, quo discipulos confortasti, ad hortum egrediens, tristari vñq; ad mortem & pauorem ceperisti.

Eia amantisime Iesu, per trinam illam orationem tuam in monte Oliueti, per moriendi paorem simul ac desiderium, per cordis tui angustiam atq; pressuram, per exuberantem totius corporis tui sudorem sanguineum (pro quibus te adoro, laudo, benedico, tibiq; gratias ago) offero & commando me tibi, omnesq; qui mihi commendati sunt, & pro quibus orare debeo aut cupio, orans ut nos facias omnes secundum beneplacitum tuum, quomodo maxime tibi placuerit nos esse, Amen.

Ad horas Canonicas septem, precatio[n]es itidem septem, pie iuxta ac deuotæ.

A D M A T V T I N A S.

Ea que Christus pro nobis suffinxuit offeruntur illi denuò per suum p[re]i[er]sum cor pro nostris malefactis.

Plissime Iesu Christe adoro, laudo, benedico & gratias ago immensa Maiestati tuae, quod tam innumera pro me incommoda, labores, corporis fatigations, famem, siti, æstum, frigus, & id genus afflictiones sustinere non es digneatus, offerens eadem tibi omnia per p[re]i[er]sum cor tuum in unione eiusdem charitatis tuae, qua ea perpeti non recusasti pro peccatis meis, ac totius mundi delictis, Amen.

Ad Primam horam.

Pro charitate promptitudineq; implendi Dei in cunctis beneplacitum.

A Mantissime Domine Iesu Christe, ardor ille charitatis, qui te, vt errantem me quereres, perditumq; saluares, fecit incarnari, laborare, in oratione pernoctare, prædicare, pati ac mori, ardeat in me quæso semper, urgetq; me, vt in omne beneplacitum tuum promptus, alacer atq; deuotus inueniar, & onane tempus, omnesq; vires meas in tuam gloriam expendam, Amen.

Ad horam Tertiam.

Pro flexibilitate cordis humani, ac imitatione Christiformium virtutum.

A Doro te Domine Iesu Christe, qui nobis in teipso, & bene viuendi normam, & omnium exemplar virtutum præbuisti. Erga omnes enim, quamlibet viiles & miseros, quam eras, pie Iesu, misericors, quam mitis, quam benignus, quam humilis, quam charitate plenus? Frange igitur quæso cordis mei duritiam, & fac me tuas virtutes imitari, tuq; me studeam semper voluntati in omnibus conformare, Amen.



Ad horam Sextam.

Pro contritione, paupertate, spiritu.

Domine Iesu Christe, quamuis rex gloriae, vniuersitatis dominus, Filiusque filii Patris, quamuis infinita, cunctisq; incomprehensibilis sit Maiestas tua, tamen despici, illudi, hominum obprobrium & ignominia fieri, latronibus sociari, cumq; eisdem damnari pro me dignatus es, infunde quæso mihi iugem veramq; contritionem & paupertatem spiritus, qua meipsum sancto odio contemnam, te vero semper & super omnia & in omnibus exalte, colam ac diligam, Amen.

Ad horam Nonam.

Pro patientia in aduersis.

Benigne Iesu Christe, pro doloribus penitentia, cruciatibus, omnibus pro vulneribus quoque tuis singulis, adoro, laudo, benedico, atque gratias tibi ago, quia propter me eadem sustinuisti: obsecrans te per infinitam misericordiam tuam, ut hæc omnia pro peccatis omnibus, propter totius mundi iniquitatibus suscipias, & patientiam mihi inter omnia aduersa perfectissimam infundas, Amen.

Ad Vesperas.

Pro fide, spe & charitate adipiscendis.

Dilectissime Iesu Christe, omnes tristitia, dolores, afflictiones, omnes quoque compunctiones ac gemitus cordis tui internos, offero tibi pro peccatis meis, & eadem contra omnem tristitiam inordinatam, contra timorem & pusillanimitatem meam tibi exhibeo: orans ut hæc auferas à me, mihiq; spem, fidem, charitatemq; quibus tibi inauertibiliter inhæream, infundas, Amen.

Ad Completorium.

Pro virium corpori ac anima in Dei laude & obsequio impensione.

Misericordissime Iesu Christe, qui vulneribus atq; liuoribus propter me adeo fuisti repletus, ut à planta pedis usque ad verticem capitis, nulla in te fuerit sanitas: qui que sanguinem tuum vniuersum pro mei redemptione tam abunde tamq; copiose effudisti, ut veluti arefactus ex solis ardore appareres: per has singulas sanguinis tui nobilissimi guttas, te obsecro, ut omnes vires animæ & corporis mei, omneq; tempus vitæ meæ facias me expendere in laudem, gloriam, ac supremum beneplacitum cordis tui dulcis Iesu, qui es benedictus in secula, Amen.

Post horarum canoniarum persolutionem ad Deum, pro negligentiarum expiatione, Precatio.

Gratias tibi ago omnipotens sempiterne Deus, quod me indignum & flagitiolum peccatorem ad tuum seruitium nullis meis meritis, sed sola dignatione tua vocare dignatus es. Rogo te per dolorem vulnerum Domini nostri Iesu Christi vngeniti tui, & per sanctissimi sanguinis eius effusionem ac innocentissimæ mortis virtutem, suscipe hoc sacrificium seruitutis meæ, licet multis negligentijs & virijs inquinatur, in vniione illius gratissimæ tibi charitatis, qua semetipsum idem filius tuus Dominus noster Iesus Christus obtulit holocaustum in cruce pro nobis, ad gloriam Maiestatis tuae, pro peccatis meis, pro Ecclesia tua sancta, pro animabus



Mabus in purgatorio, & pro quibus teneor vel intendere debo: & concede mihi ut
in veritate te perfectè diligam, & in virtutibus iudicis proficiam, & in seruitio tuo
semper deuotior, alacrior, fidelior, & magis strenuus inueniar. Ad quod obtainendū
benedicat me omnipotens Pater, instruat me sapientia filij, repleat me dulcedo
Spiritus sancti, attrahatq; me diuina gratia, & vniat me secum sine fine. Amen.

Post horarum canoniarum persolutionem, ad beatissimam Virginem Mariam, Antiphona.

O Flos florum, o domicilium virtutum, o electissima mulierum B. virgo Ma-
ria, cuius solius commercio fragilitas humana inuenit aditum resurgendi.
Admitte preces nostras intra sacrarium exauditionis tuę, & reporta nobis
gratiam reconciliationis Sit per te excusabile, quod per te ingerimus. Accipe quod
offerimus. Impetra quod rogamus, quia nec potentior em meritis ad placandam i-
ram iudicis inuenimus, quam te, quæ meruisti mater existere eiusdem redempto-
ris & iudicis. *Versus.* Dignare me laudare te virgo sacra.

Repons. Da mihi virtutem contra hostes tuos. *Precatio.*

C Oncede misericors Deus fragilitati nostrae subsidium, ut qui sanctæ Dei ge-
nitricis conceptionem, nativitatem, præsentationem, annunciationem, com-
passionem, requiem seu dormitionem, assumptionem, beatificationem seu
coronationem, veneramur, intercessionis eius auxilio igne ardentissimæ charita-
tis accendamur, ut peccatis nostris tua miseratione deletis, per te mereamur cunctas
tentationes vincere, mundum contemnere, in aduersis gratias agere, velle pari ac
despici, priuatum amorem occidere, vita mortificare, & in omne beneplacitū tuū
fideliter nos tibi usque ad mortem resignare. Per eundem Dominum nostrum Ie- Apoc. x.
sum Christum filium tuum, qui dilexit nos & lauit nos in sanguine suo, pro nobis
crucifixus & mortuus, tecum in unitate Spiritus sancti per æternam secula benedi-
ctus, Amen.

*Prædictæ festinatæ ita distinguenda sunt, ut quilibet dies hebdomadae suum proprium ha-
beat festum, Exempli gratia. Feria secunda Conceptionem. Feria tertia Nativita-
tem &c. & sic per ordinem.*

Efficacissima ad Iesum, Precatio.

O Nuda humanitas, o magnum martyrium, o virtus sanguinis, o mortis acer-
bitas, o diuina dulcedo Domini nostri Iesu Christi adiuua me ad æternam
felicitatem, Amen.

*Leo Papa decimus, concessit remissionem omnium defectuum, in horis canonicis humane
fragilitate commissorum, omnibus hec sequentia dicentibus.*

S Acros sanctæ & indiuiduae Trinitati, crucifixi Domini nostri Iesu Christi hu-
manitati, beatissimæ ac glorioissimæ virginis Mariæ fecunditat: & omnium
Sanctorum unitati sit sempiterna laus, honor, virtus & gloria ab omni
creatura, nobiscip̄ remissio omnium peccatorum & negligentiarum per infinita le-
cula seculorum. Et beata viscera Mariæ virginis, quæ portauerunt æterni Patris Fi-
lium: & beata ubera quæ lactauerunt Christum Dominum nostrum, Amen.

*Pater noster & Ave Maria, pro felicitate summi pontificis & sanctæ Matris Ecclesie.
Item Ecclesia, & Omnipotens sempiterne Deus qui viuorum.*

